Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1023
Quelle:
Copyright:

De Virtutibus Eius Sapientissimi Regis Karoli Et Albini Magistri; et continuo additur: *Item Versus Eiusdem De Arte Rethorica Incipiunt*. Haec litera quadra miniata, manuque Sec. XII. Tum Ogdostichon: *Qui rogo ciuiles cupiat* &c. et ipsum Opusculum dialogicum hac inscriptione quadra: *Incipit Liber Artis Rethorice Item Sub Interrogatione Karoli Imperatoris Et Responsione Albini Magistri*. Ejus initium: *Quia Te Venerande Magister Albine Deus Adduxit* &c. Ut edit. *Ratisb.* 1777. T. II. P. 4. p. 313. qua plenior videtur Codex, nam mox sub initium post verba: *bestiarum more uagabantur*, addit: *et sibi uictu fero uitam propagabant*, et ad verba: *viribus corporis abutebatur*, jungit: *perniciosissimis satellitibus*. Itaque totus conferri mereretur. Ad calcem illam totius Rhetoricae Συνοψιν pulcro Schemate orbiculari exhibet. Absunt tamen Versus in edit. subjecti.

V. *fol.* 70. p. 2. haec Traditio manu Sec. saltem XIII. temere adscripta est. *Haimricus gruot. Dietmarus. Chunradus Scovber. Eberhardus in Tumstadel. Dabunt de Salina per duos annos Mille et C. talenta denar. Que dabunt continuatim per menses. In quolibet mense XL. et VI. libras persoluent. Annus inicium habebit in festo S. Martini et finem. Montem aque bene colent. patellas* (aggeres, Wehren?) *et alia eius instrumenta bona uel meliora reddent. Ligna accipient in inferiori parte claustri. et in superiori cum fuerit necesse. Judicium habebunt Scellinberch per omnia excepto si aliquis fuerit occisus uel sic uulneratus quod membrum habebit debilitatum. Domum habebunt ecclesie et pratum inferius. Sacerdotem ibi cantantem procurabunt. Salem dabunt nobis ad cibum et utilitatem ecclesie. ut ante est factum. Quolibet anno in ieiunio Sevmam* (onus equi clitellarii, Σαγμα, Soma, Sauma) *uini latini* (italici) *et C-XX. simulas* (nunc Semmel) *et pisces ad duas cenas dabunt*. Cum ad oram inferam *fol.* 22. legatur in Codice: *Liber sancti Ny.* id est *Nicolai*, fortasse non incongrue Contractus iste ad Canoniam *Nicolaitanam* O. S. Aug. prope *Passavium* a. circiter 1070. fundatam referatur, quamvis non habeatur *Vol. IV. Monum. Boicor.* Nomina inferta certe id non dissuadent.

VI. *fol.* 71. *Incipit ut sequitur salustius de gestis cateline qui liber vocatur catelinarium Vnde catelina fuit ciuis romanus nobilis*. Inepta haec adlevit manus Sec. XV. cum Textus ipse saltem XIII. sit, et quidem admodum sincerus; collatum enim Prooemium cum Recens. *Havercampiana Amst.* 1742. 4. non nisi in sequentibus abit: *auxilio eget* pro *veget. aliud alios ferre* pro *aliud alio ferri*, ignota *Havercampio* lectio, neque penitus spernenda τῳ *fero* adhibito pro *requiro, designo, intendo. Omnes arant* pro *homines. peregrinantes transiere* pro *transigere. scriptorem et actorem* pro *auctorem. invidia dictum* pro *dicta. si supra ea* pro *supra ea. adolescentulus in initio*